


Dissertatio Theologica De Munere Christi Sacerdotali

Francofurti ad Viadrum: Literis Johannis Christoph. Schwartzii, [1714?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn869494457>

Druck Freier  Zugang





Fa - 1092 (115)





18

DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
MUNERE CHRISTI
SACERDOTALI,

Quam

DEO annuente

In Univerſitate Francofurtana

PRÆSIDE

DNO. BARTHOLDO
HOLTZFUS, D.

Profes. Theol. & Eccleſiaſt. Ordin.

Fautore & Præceptore ſuo atatem venerando,

ad d. VI. Mart. A. O. R. M DCC XIV.

horis locoq; conſuetis

Modesto Eruditorum Examini

ſubmittit

ANDREAS SZATHMAR NEMETI,

Tranſylvano Hungarus.

FRANCOFURTI ad VIADRUM,

Literis JOHANNIS CHRISTOPH. SCHWARTZIL.

31



CAPUT I. De Munere Christi Sacer- dotali in genere.



S. I.

Christum fuisse Sacerdotem, in-
dicant nomina Hebræa & Chald.

כֹּהֵן Sacerdos: כֹּהֵן הַגָּדוֹל item:

כֹּהֵן רִבֵּה Summus Sacerdos,

כֹּהֵן מְשֻׁמֵּד Sacerdos unctus.

Græce: ἱερεύς, ἀρχιερεύς, Ps. 110, 4.

Heb. 5, 6. c. 3, 1. c. 4, 14. 15. c. 9,

11. Item σωτήρ, Salvator, Jes. 43,

11. Zach. 9, 9. Luc. 2, 11. Joh. 4,

42. Salus, Genes. 49, 18. multus ad servandum. Jes. 63, 1.

Jesus, Matt. 1, 21. εἰς ἱερωσύνην, Sacerdotium. Heb. 7, 24.

προσφορά ac θυσία, oblatio & sacrificium. Eph. 5, 2.

Heb. 10, 10. 14. tribuitur: quod confirmant Typi,

Melchisedecus, Genes. 14, 18. 19. 20. Ps. 110, 4. Heb. 6, 20.

cap. 7, 1. 2. 3. & Aaron, Ex. 28. Heb. 5, 1. 4. c. 8, 3. 4.

c. 9, 7. 11. 12. &c. Emphatice vero rem ipsam ex-

primit Apostolus Heb. 9, 11. 12. Christus advenit Por-

tifex futurorum bonorum per amplius & perfectius ta-

A 2

berna.

vernaculum non manufactum i. e. non hujus creationis: nec per sanguinem bircorum aut vitulorum sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, aeterna redemptione inventa.

§. II. *Sacerdotale Christi munus est, functio Christi Mediatoris, quã. ex consilio DEI Patris pro peccatis hominum se DEO obtulit, peccata illorum morte sua expiavit, & pro hominibus intercedit, ut mediante Fide & Resipiscentia Remissionem peccatorum & salutem æternam consequi possint.*

§. III. *Cavendum, ne cum Socino Sacerdotium Christi cum ejus Regno confundamus: Nam ut Rex & Propheta nomine DEI cum hominibus agit; ut Sacerdos vero nomine hominum cum Deo & apud Deum agit, adeoque hujus actus pro hominibus apud Deum occupantur, teste Apostolo Heb. 5, 1. Omnis Pontifex ex hominibus assumtus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerant dona & sacrificia pro peccatis. Hinc non solum functio sacerdotalis Ministerium Dei vocatur, Exod. 28, 41-c. 39, 44. Sed & Sacerdotes ad DEum appropinquare dicuntur, Lev. 10, 3. c. 21, 21. Ezech. 40, 46. c. 44, 13. 15. 16. & victimas immolare ac Deo offerre leguntur. Item Sacerdos jubetur rogare pro eo, cujus nomine offerebat, atque additur: Propitius erit ei Dominus. vel dimittetur ei, Lev. 4, 20. 26. 31. 35. c. 5, 10. 13. 16. 18. quin capiti bruti pro homine mactandi manus imponebantur ad significationem, in hanc victimam succedaneam peccata hominis transferri. Inde Christus pro peccatis s. delictis homi-*

(5.)

hominum vel pro nobis se dedisse, obtulisse, vel mortuus esse dicitur, Jes. 53, 4. c. 50, 10. Eph. 5, 2. Rom. 4, 25. 1 Cor. 15, 3. Gal. 1, 4. 1 Pet. 3, 18. item pro nobis apud Deum intercedere, 1 Joh. 2, 2. Rom. 8, 34. Joh. 17, 9.

§. IV. *Causa Sacerdotem hunc constituens est Deus Pater.* Ps. 110, 4. *juravit Dominus & non poenitebit eum: Tu es Sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchizedek.* & Heb. 5, 4. 5. 6. *Nemo sibi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.* Sic & Christus non ipse sibi hunc honorem tribuit ut fieret Pontifex, sed qui locutus est: *Filius meus es tu, ego hodie genui te: sicut & in alio loco dicit: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchizedek.* it. c. 7, 17. 20. 21. 22. Constitutus a. fuit *Unctione*, & quidem *oleo Spiritus*, Psal. 45, 8. Jes. 61, 1. Joh. 1, 16. c. 3, 34. Act. 10, 34. non v. materiali, quo si consecrandus fuisset, potiori jure in formam X Græcorum, s. in formam *Crucis* inter *supercilia*, quam Pontifex V. T. consecratus fuisset, cum Reges in formam O s. *Coronæ* consecrarentur.

§. V. *Causa impulsiva intrinsece movens est gratuitus Dei amor,* Joh. 3, 16. Rom. 5, 8. 2 Tim. 1, 9. 10. Eph. 1, 7. c. 4, 32. Coloss. 1, 14. c. 3, 13. 1 Joh. 4, 9. 10. *Extrinsece movens fuerunt peccata exitium allatura* Jes. 53, 4. c. 50, 10. Ephes. 5, 2. Rom. 4, 25. 1 Cor. 15, 3. Gal. 1, 4. 1 Pet. 3, 18.

§. VI. *Objectum personale,* non sunt Angeli, nec boni nec mali; Sed *homines* & quidem omnes promiscuè, Matt. 20, 28. 1 Tim. 2, 6. Heb. 2, 9. 1 Joh. 2, 1. 2 Pet. 2, 1. *Reale est, ratione Oblationis, Christi*

A 3

COR-

(6.)

corpus & Sanguis, Eph. 5, 2. 1 Pet. 3, 18. Ratione intercessionis, *odor suavitatis*, Eph. 5, 2. Apoc. 8, 3. Coll. cum Gen. 8, 21.

§. VII. *Forma* hujus muneris consistit (1) in *oblacione* corporis Christi in cruce, atque effusione sanguinis in terra facta. (2) in *Præsentatione* sanguinis Christi in cœlis facta. (3) in *Interpellatione* Patri pro nobis præcipue in cœlis facta.

§. VIII. Christus quidem in cœlis Sacerdotium suum consummavit, Heb. 4. v. 14. c. 5. 9. 10. c. 8, 4. in terris tamen idem inchoavit: quod contra Socinianos probamus, rationibus sequentibus. (1) Quia jam in terris ad Sacerdotium à Deo Patre vocatus fuit, Matt. 3, 17. (2) Quia in terris actus sacerdotalis exercuit, quales sunt corporis sui oblatio, sanguinis effusio, & spiritus in manus Patris traditio, Matt. 20, 28. 1 Pet. 2, 24. Rom. 4, 25. Ephes. 5, 2. 2 Cor. 5, 14. 21. Tit. 2, 14. (3) Quia in terris pro hominibus intercescit, Joh. 17. Heb. 5, 7. 8. (4) Quod evincit Typus Sacerdotii Aaronici, quod absolvebatur, non tantum actibus illis, quos exercebat summus Sacerdos ingrediens in Sanctum sanctorum, sed & illis actibus, quibus mactabat victimam piacularem, Heb. 9, 11. 12. Heb. 7, 27. c. 9, 25. 28.

§. IX. *Finis* est peccatorum expiatio & hominum cum Deo reconciliatio. Heb. 2, 2. Eph. 1, 7. Luc. 1, 71. Rom. 8, 2. 3. & *Mortificatio* veteris ac *Vivificatio* novi hominis. Rom. 6, 4. 5. 6. 11. 2 Cor. 5, 15. Gal. 6, 14. 1 Pet. 2, 24.

§. X. *Convenientia* muneris Christi Sacerdotalis

calis cum *Aaronico* consistebat. 1. in *mactatione & oblatione* victimæ Heb. 5, 1. 2. in *apparitione* propulo. 3. in *ingressu* in Sanctum sanctorum. Lev. 16. Eb. 9, 7. 24.

§. XI. *Differt* vero ab *Aaronico* 1. *ratione Personæ*: *Aaronici* Sacerdotes meri fuerunt homines; Christus vero DEI filius *θεου γιος*. Illi peccatores, qui pro suis etiam peccatis opus habebant offerre: Hic sanctus & immaculatus, qui pro nobis tantum offerre debuit, Heb. 7, 16. Illi differebant ab hostiis & victimis quas offerebant; Hic Sacerdos & victima simul fuit. Illi plures, Christus unicus. Illi mortales erant, ac proinde successores habere debebant; Christus vero immortalis, nec successore, nec vicario *ἱερο* indigens. 2. *ratione modi institutionis*. *Aaronicum* sine juramento, Christi vero cum juramento institutum fuit, Ps. 110, 4. Heb. 7, 20. 21. 3. *efficacia*. Illud nullam per se vim habebat peccata expiandi. Heb. 9, 10. Christi vero efficacissimum erat. 4. *ratione durationis*. Illud ad certum tantum tempus durabat; Christi vero est perenne, Heb. 10, 1. 2. 3. 10. 12. 5. *ratione perfectionis*. Quia nihil consummabat, inde sacrificia iteranda erant. Heb. 10, 1. 2. 3. Hoc vero iterandum non est, quia perfectissimum. 6. *Sacerdotium Aaronicum* tantum in terris peragebatur; Christi vero in terris quidem inchoatum, in cælis consummatum est, Heb. 9, 24. Heb. 7, 26. Heb. 4, 14. 7. *Quod Sacerdotium Christi præcipue sit secundum ordinem Melchizedeci*, Ps. 110, 4. ubi duplex differentia se offert 1. *Aaronicum* non erat cum potestate Regia con-

jun-

junctum. 2. Aaronicum a Patre in filium translatum est; Messias vero Sacerdos & Rex non successit alteri nec successorem habuit. Confer Heb. 7, 3. 4.

§. XII. De Melchisedeco, quis fuerit, diversæ fuerunt & sunt sententiæ. 1. *Melchisedeciani* hæretici statuerunt, Melchisedecum fuisse Spiritum Sanctum virtutem DEI. 2. *Origenes* & *Didymus* voluerunt, fuisse Angelum creatum. 3. Alii existimarunt fuisse *Semum* Noæ filium. quam opinionem *Sixtus Sen.* tribuit *Samaritanis*, quæ melius Judæis tribuitur. Præter quos fuit & *Liræ*, *Tostati*, *Broughtoni*, *Genebrardi*, *Alstedii*. 4. *Cunæus* de Rep. Hebræorum Lib. 3. c. 3. *Molinæus* in Vate, *Gaillardus*, alii volunt, fuisse ipsum Christum. 5. *Irenæus*, *Eusebius*, *Hieronymus*, *Hippolitus*, alii veterum, ut & Protestantes plurimi arbitrantur: ea, quæ de Melchisedeco dicuntur, *literaliter* intelligenda esse, fuisse scilicet verum hominem ex hominibus natum, *Regem Salem*, qui tempore Abrahami vixit & Regium munus cum Sacerdotali junctum obtinuit.

§. XIII. Hanc sententiam probamus. 1. Quia Melchisedecus dicitur Rex Salem: ut ergo Genes. 14. mentio fit, Regis Sodomæ, Gomorrhæ &c. Ita consentaneum est, Melchisedecum quoque fuisse urbis Salem proprie dictum Regem. 2. Quia Ps. 110, 4. Christus dicitur Sacerdos *secundum ordinem* Melchisedeci: hinc colligitur, Melchisedecum non esse ipsum Christum, quia Christus non potest dici sacerdos secundum ordinem Christi. 3. Quia Melchisedecus fuit Typus Christi, Anti

(9.)

Antitypus vero nunquam idem est cum Typo. 4. Quia Melchisedecus Panem & vinum protulit ad reficiendos milites Abrahami, qui Melchisedeco de hostium spoliis decimas dedit; quæ de Christo intelligi nequeunt. 5. Quia à sensu literali temerè recedendum non est.

§. XV. Convenit ergò Sacerdotium Christi, cum Melchisedeciano 1. ratione nominis: Melchisedek dicitur à $\mu\lambda\chi$ Rex & $\mu\delta\iota\kappa\alpha$ justitia, dicitur & Rex Salem, quæ vox quidem locum notat, pacem tamen infert. Quæ omnia Christo apprime conveniunt: Christus enim fuit Rex *Justitiæ pacificus*, Zach. 9, 9. Matth. 21, 5. 2. ratione Originis: Melchisedecus ἀπάτωρ, ἀμήτωρ & ἀγενεαλόγητος fuit, non revera, simpliciter & positivè; sed negativè, quia sacræ literæ ea de re tacent: Christus fuit ἀπάτωρ ratione humanæ; ἀμήτωρ, ratione divinæ naturæ; nullumq; antecessorem nec successorem habet; hinc recte dicitur ἀγενεαλόγητος. 3. Officio: Melchisedecus erat Sacerdos & Rex. Christus item Ps. 110, 2. 4. dignitate: Melchisedecus dignitate superior erat Abrahamo, quare & benedixit ei, solenniter scilicet & sacerdotaliter, Heb. 7, 7. & Abrahamus decimas illi solvit. Christus superior est omnibus Regibus terræ & præstantius Sacerdotium obtinuit Levitico. 5. duratione: Melchisedek immortalis proponitur, cujus mortis nulla fit mentio, Heb. 7, 8. Christus immortalis fuit ac proinde interminabilem vitam habuit, Heb. 7, 16. 6. Unitate: Melchisedecus unicus fuit Sacerdos, qui non habuit antecessorem nec successorem, Heb. 7, 23. 24. quod Christo quam optime convenit.

B

§. XVI

(10.)

§. XVI. Unde manifestum est, non dari plures Sacerdotes ordinis Melchisedeciani. 1. Quia Sacerdotium Aronicum habuit plures Sacerdotes Melchisedecianum vero unicum, Heb. 7, 23. 24. 2. quia Sacerdotium Christi fuit ἀπαράβατον. h. e. tale quod in alium transmitti non potuit, Heb. 7, 24. quo ipso etiam distinctio inter Sacerdotem Primarium, & secundarios seu inferiores eliditur. Nam Secundarii illi vel ejusdem vel diversæ speciei cum primario essent; Si prius, deberent esse Sacerdotes & Reges, ἀπάτορες, ἀμύτορες, ἀγνευαλόγητοι & habere Sacrificium perpetuum: Si posterius, victimam diversam ab illa, quam Christus obtulit, offerent: quod contradicentes nolunt. 3. quia Paulus ad Ephes. 4. 11. inter ordines varios munerum sacrorum Sacerdotes omittit. 4. quia Sacerdotium Melchisedecicum ejusmodi Characteribus insignitur, qui non nisi Christo, conveniunt v. g. Heb. 9, 25. 26. quod non sæpius; sed semel tantum, nec alienum sed suum sanguinem offerre debuerit. ib. c. 9, 12. quod *semel in sancta introiit, aeterna redemptione inventa.* conf. Heb. 7, 21. 23. 26. 27. 5. Quia alias Sacerdotium Aronicum & Melchisedecicum hæc in parte non differrent, quæ tamen ut diversissima ab Apostolo proponuntur.

§. XVII. Neque ex prolatione panis & vini contrarium probari potest. Nam Melchisedecus מלכיצדק attulit, obtulit, protulit, adduxit panem & vinum nempe ad Abrahamum & milites fatigatos potu & cibo reficiendos, neque, hic causale, sed copulativum est.

§. XIX

(11.)

§. XIIII. Partes Officii Sacerdotalis sunt I
Satisfactio. 2. Intercessio.

CAP. II.

De Satisfactione & Intercessi- one Christi.

§. XX.

Satisfactionis vox totidem literis non extat in
Scriptura; Extant tamen æquipollentes קָדוּם
& קָדוּם Redemptio, Hof. 13, 14. Quo refertur
מַלְאָכֵי הַשָּׁמַיִם Angelus Redemptor, Gen. 48, 16. פְּרוֹקֵן
פְּרוֹקֵן Redemptio, Liberatio, Lytron, in
Paraphr. Chald. Gen. 49, 18. Quod Jacobi suspirium
hodierni etiam Judæi quotidie post recitatos Fidei
Judaicæ Articulos ter Hebraice & ter Chaldaice
mutato vocum ordine repetunt. λύτρωσις, λύτρω-
σις, ἑξαγοράσις, Redemptio, 1 Pet. 1, 18. 19. Eph. 1, 7.
Gal. 5, 3. ἱλασμός, propitiatio, 1 Joh. 4, 10. portatio pec-
catorum Jes. 53, 4. Solutio, Ps. 69, 5. καταλλαγή. Recon-
ciliatio, Rom. 5, 10. 11. item λύτρον, ἀντίλυτρον, Redem-
ptionis pretium, Matth. 20, 28. 1 Joh. 2, 6.

§. XX. Causa Redemptorem constituens est
DEUS Pater Joh. 3, 16. Rom. 8, 3, 32. Jes. 53, 6. 2 Cor.
5, 19. 21. 1 Joh. 4, 9. 10.

§. XXI. Causa προηγουμένη est Philanthropia
& Misericordia DEI, Joh. 3, 16. Rom. 5, 8. Eph. 1, 7.
2 Tim. 1, 9. 10. Tit. 3, 4. Causa προκαταρκτική sunt pec-

B 2

peccata nostra pœnam æternam merentia, Rom. 4. 25. *Traditus est propter peccata nostra.* 1 Cor. 15, 3. 1 Pet. 3, 18. Gal. 1, 4. Heb. 10, 12. Jes. 3, 5. Rom. 6, 10. 2 Joh. 4, 9, 10.

§. XXII. *Subiectum quod est Christus* Θεσβησρωπος Jes. 53, 13. 1 Tim. 2, 5. Rom. 5, 8 Eph 1, 7. *Subiectum quo est humana Christi Natura* : nam Christus Corpus suum obtulit, & Sanguinem suum effudit, 1 Pet. 4, 1. Heb. 5, 7. 8. 1 Pet. 3, 18. Matt. 26. 27. 28. non tamen exclusa ejus Natura Divina, quæ valorem addidit λύτρωσι. S. pretio, quod Christus solvit.

§. XXIII. *Objectum cui satisfactum est*, non est Diabolus qui hominem captivum tenebat. Hic enim tantum instar ministri tortoris erat ; sed ipse *Deus*, Rom. 11, 32. Matt. 5, 25. Matt. 18, 34. 35. qui hic non tantum spectandus est ut Creditor, qui debitum debitori ex mera liberalitate remittere potest, aut ut absolutus Dominus, qui ex absoluta sua potestate, non tantum possit debitori debitum remittere ; sed, qui id revera etiam fecerit. quod Sociniani volunt ; Sed considerandus hic est ut Sapiens Mundi Rector & justus Judex.

§. XXIV. *Objectum pro quo Personale* non sunt Angeli, nec boni nec mali, Heb. 2, 9. sed genus humanum universum, Jes. 53, 6. 1 Joh. 2, 2. 2 Cor. 5, 25. Tim. 2, 6. Heb. 2, 9. 1 Cor. 8, 2. Pet. 2, 1. *Reale* coincidit cum causa *ωσκαταρτιση*, suntque peccata nostra, quæ pœnam merebantur, & quidem non solum originale ; sed & actualia, Jes. 53, 41. & pœnæ peccatorum Es. 53, 5. Gal. 3, 13. Rom. 5, 8. 9. Heb.

Heb. 2, 14. 15. Rom. 6, 23. Jac. 1, 15. Apoc. 21, 18.
Hof. 13, 15. 1 Cor. 15, 54.

§. XXV. *Forma est perpeſſio pœnæ vicariæ* mortis æternæ, non ſolum ex acceptatione Patris, ſed ex intrinſeco, ob dignitatem Perſonæ, valore æquivalentis & λόγος *ſufficientis actualis* ſolutio ac Dei Patris placatio, adeoque ſalutis æternæ *acquiſitio*, Jel. 53, 6. 7. 2 Cor. 5, 21. Gal. 3, 3. Matt. 20, 28. 1 Tim. 2, 6. Col. 3, 14. Ita ut vocati mediante fide & Reſipſcentia Remiſſionem peccatorum, juſ adoptionis & ſalutem æternam conſequi poſſint. Credentibus v. & reſcipiſcentibus per Verbum & Spiritum S. beneficia hæc *effective* applicentur; Joh. 1, 9. c. 3, 16. Act. 16, 30. 31. Rom. 10, 9. it. Luc. 1, 74. 75. 2 Cor. 5, 15. Eph. 5, 25. 26. Tit. 2, 14. Heb. 5, 8. 9. 1 Pet. 2, 21. 24. 1 Joh. 1, 7. Rom. 6, 6. 8. 11.

§. XXVI. *Finis ex parte Dei* eſt Bonitatis Miſericordiæ, Sapientiæ, Potentiæ, Sanctitatis ac Juſtitie Divinæ declaratio, Joh. 3, 16. Rom. 3, 25. 26. c. 5, 8. Eph. 3, 8. 9. 10. *Ex Parte hominum* eſt Redemptio paſſiva, propitiatio peccatorum, juſ Adoptionis & ſalutis æterna, Joh. 1, 12. Rom. 3, 24. 25. Heb. 9, 12. Sancti- moniæ noſtræ procuratio, Joh. 1, 9. 18. 1 Cor. 1, 30. 2. Cor. 5, 21. c. 3, 18. Tit. 2, 11. 14. Heb. 9, 14.

§. XXVII. *Adjuncta ſunt* 1. *Necetas ſe-* cundum quosdam *absoluta*, ita ut ne potuerit quidem peccata per juſtitiam ſine Satisfactione remittere, non ſimpliciter tamen Naturalis, qualis eſt in igne ad urendum; ſed moralis & rationalis, quæ ut à Sanctitate & juſtitia Dei fluit, ita voluntaria

est, & variam pro sapienti *enimvero* modificatio-
nem admittit. Secundum alios *hypothetica* ex
decreto Divino, quam post *Athanasium, & Augusti-*
num, Scholastici *Lombardus, Bonaventura, Thomas A-*
quinas, Scotus, horumque sequaces, passim, & ex
Protestantibus Lutherus, Franzius, Balduinus Georg.
Calixtus, Hornejus, Pet: Martyr, Calvinus, Zanchius,
Kimedoncius, Piscator, Henr. Ating, Tovissus, Scar-
pius, Gerh. Joh. Vosius Resp. ad *Judicium Raven-*
sperg. c. 28. defendunt.

§. XXVIII. Nos *necessitatem* Satisfactionis contra
Socinianos asserimus I. Ex illis *Scripturæ* dictis, quæ
I. odium peccati in Deo declarant, *Exod. 34, 7. Pl.*
5, 5. 6. Hab. 1, 13. 2. Deumq; ut justum Judicem nobis
proponunt, *Rom. 1, 18. 32. Rom. 3, 6. 2. Thes. 1. 6. II.*
Ex Natura peccati, quæ consistit in offensa Numinis,
& relinquit in hominis animo maculam, ac proinde
abluenda est, quia Deus eam intueri nequit. *Jes. 59,*
2. Matt. 15. 11. Ap. 21, 27. III. à Legis Divinæ sanctione.
Lex enim Divina pœnam mortis peccatori denun-
ciat, *Gen 2, 17. Deut, 27, 26. Ezech. 18, 20. Rom. 7,*
18. Rom. 6. 23. Gal. 3, 10. IV. ex ipsa Satisfactione:
quæ, quia facta est, necessaria omnino fuit.

§. XXIX. II. *Veritas:* Ita ut verum preti-
um Deo ut Rectori Mundi & Justo Judici, pro peccatis
hominum solverit Christus. Hanc negavit *Seculo XII*
Abailardus, quem refutavit *Bernhardus*. Et *Faustus*
Socinus cum assensu, qui concedunt quidem, *Chri-*
stum voluntati; sed negant *justitiæ Divinæ, satis-*
fecisse.

§. XXX.

§. XXX. Nos veritatem Satisfactionis Christi *probamus* sequenti argumento: Qui pro aliquo moritur ut *λύτρον* & *ἀντίλυτρον*, & quidem ita solvit, ut solvat quæ non rapuit, dolores ejus portet, pœnam pro Pace ejus in se recipiat, fiat peccatum s. victima quin execratio pro peccato, expiet eju peccata & fiat propitiatio pro peccatis ejus, mundet eum à peccato, deleat Chirographum ejus, ut is redimatur & cum Deo reconcilietur: is verè ac proprie pro ipso satisfecit. Atqui Christus. Ergo.

§. XXXI. Assertio hæc probatur (1) *λύτρον* & *ἀντίλυτρον* dedit, Matt. 20, 28. 1 Tim. 2, 6. (2) solvit, quæ non rapuit, Ps. 69, 5. (3) dolores nostros portavit, Ef. 52, 4. conf. Matt. 8. (4) pœnam pro pace nostra in se recepit. Jes. 53, 5. (5) pro nobis peccatum s. victima pro peccato factus est 2 Cor. 5, 21. (6) Execratio pro peccato factus est Gal. 3, 3. (7) peccata nostra expiavit, & propitiatio, *ἱλασμός*, factus est pro eis, Rom. 3, 25. Heb. 2, 17. 1 Joh. 2, 2. Heb. 13, 12. Tit. 2, 14. 1 Pet. 1, 2. (8) nos à peccatis mundavit. 1 Joh. 1, 7. (9) Chirographum delevit, Col. 3, 14. (10) Nos Deo reconciliavit. Rom. 5, 10. 2 Cor. 5, 18. Eph. 2, 16.

§. XXXII. Satisfactio Christi *Obligacionem nostram* ad præstandam fœderis Gratia Conditionem, quæ est fides, sincera Resipiscentia, & filiale obsequium, non tollit; sed includit, & confirmat. Nam Christus hætenus pro genere humano satisfecit, & peccata nostra expiavit, salutemque hominum plene *impetravit*, ut homines,
præ

præstita conditione fœderis Remissionem peccatorum & salutem æternam consequi possint & debeant.

§. XXXIII. Christus enim morte sua piaculâ & Resurrectione a Mortuis Spiritum vivificantem impetravit, cujus virtute homines vocati credere, respiscere, & justitiæ vivere debent & possunt, Luc. I, 74. *ut de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi in Sanctitate & Justitia coram ipso omnibus diebus vitæ nostræ.* Rom. 8, 2. 3. 4. *Lex Spiritus vitæ in C. J. liberavit me a lege peccati & mortis: nam quod impossibile erat legi, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati & de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum Spiritum.* C. 6, 6. *Vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruat corpus peccati, nec ultra serviamus peccato.* 8. *Si mortui sumus cum Christo, etiam vivemus cum Christo.* adde v. 1. 2. 3. 4. 1 Pet. 2, 24. *Peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiæ vivamus.* 2 Cor. 5, 15. *Pro omnibus mortuus est Christus, ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est & resurrexit.* Heb. 5, 9. *Consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.* Tit. 2, 11. *Apparuit Gratia DEI Salutaris omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & secularia desideria, sobrie & juste & pie vivamus in hoc seculo.* 1 Job. 1, 7. *Si in luce ambulamus, sicut ipse est in luce, communionem habemus ab Invicem & Sanguis J. C. Filii ejus mundat nos ad omni peccato.*

§. XXXIV.

§. XXXIV. Christus non tantum pro nobis
 satis fecit; sed etiam pro nobis *Intercedit*, Rom. 8,
 34. 1 Joh. 2, 1. Heb. 4, 14. 15. Heb. 7, 25. Heb. 9, 24. Nec
 tantum in Cœlis; sed & in terris *Intercescit*; Joh. 17.
 Luc. 23, 34. Sub qua *Intercessione* comprehendi-
 tur *Benedictio Sacerdotalis*, Act. 3, 26. *Benedixit nobis*,
ut converteret se unusquisq; a nequitia sua. quæ effica-
 cior est *Benedictione Sacerdotali* V. T. Num. 6, 23, quæ
 fuit expansis manibus ac diductis digitis facienda.

§. XXXV. Estque solus *Mediator & Inter-
 cesor* noster 1 Tim. 2, 5. Nam *Intercesorem* no-
 strum oportet esse omniscium, ut omnium neces-
 sitatem, Afflictiones, & desideria nosse possit; omni-
 præsentem, ut omnibus in locis Suis in omnibus
 ærumnis & calamitatibus succurrere; & omni-
 potentem: ut Suis in maximis quibusque difficul-
 tibus & angustiis auxiliari queat. Præterea est
 hæc *Intercessio Mediatoria*; unde concidit *Distin-
 ctio Mediatorum* in *primarium & secundarios*.

§. XXXVI. *Is apud quem Mediator intercedit*,
 est *Deus Pater*, hic ut *Rector & Judex* spectatus.
 Rom. 8, 38. 1 Joh. 2, 1. Joh. 5, 7. 2 Cor. 5, 18. 19.

§. XXXVI. Est verò *Intercessio vel generalis*,
 quâ Christus pro omnibus intercedit, Jes. 53, 12.
 Luc. 23, 34. cujus virtute DEUS longanimus
 Conversionem & emendationem delinquentium
 patienter expectat, 2 Pet. 3, 9. Rom. 2, 4. Luc. 13, 6.
 7. 8. vel *specialis*, quam pro fidelibus & electis præstat
 Joh. 11, 9. 20. Rom. 8, 34. 1 Joh. 2, 12. Vide Joh. *Dave-
 nantium Exposit. Epist. ad Coloss. c. 1, 22. p. m. 124.*
 & *Lud. Crocium Apologet. pro Aug. Confesf. Disp. 10. th.*
 71. p. 258. 259.

C

§. XXXVII.

§. XXXVII. *Objectum reale* sunt bona omnia, præsertim spiritualia & cœlestia ad salutem animæ gradatim proficientia, Rom. 8, 32. *Fundamentum* est Satisfactio & Meritum Christi, Rom. 8, 34. 35.

§. XXXIIX. *Forma* non consistit in flexione genuum, expansione manuum, procumbentia in terram, quæ supplicum erat inprimis in Oriente ratio; sed consistit in sacrificii & hostiæ in cruce factæ Repræsentatione, & efficaci pro nobis interpellatione. Rom. 8, 34. Heb. 7, 25. Heb. 9, 24. 1 Joh. 2, 1. 2.

§. XXXIX. *Finis* est (1) Gloriæ Dei & Christi manifestatio. DEI Patris, quatenus ille hic spectatur, ut misericors, bonus & justus. *Christi*, quod ipse jam exaltatus pro nobis interpellet, atque veri Pontificis axioma sibi vindicet. (2) ratione hominum est impetratio & applicatio bonorum salutarium, Remissionis peccatorum, juris adoptionis, & salutis æternæ.

§. XL. *Effectus* Muneris Sacerdotalis apud Deum sunt: Dei placatio, Amoris ac Benevolentia erga homines testificatio, benevola hominum ad amplectendum Amorem Divinum Vocatio s. Invitatio. ut Fide & Resipiscentia beneficia parta amplectantur, Matth. 22, 2. 4. Luc. 14, 16. 2 Cor. 5, 20. *Homines* a. credentes & Resipiscentes constituuntur *Sacerdotium regale*, 1 Pet. 2, 9. facti ab ipso *Reges & Sacerdotes*, Apoc. 1, 6. c. 5, 10. quorum officium est, virtute gratiæ a Christo partæ vincere Satanam, Mundum & Carnem, 1 Joh. 5, 4. 5. Eph. 6, 11. 13. Rom. 6, 12. 13. 1 Joh. 2, 15, 16. secundum *Promissionem Baptismalem*, qua

qua Diabolo, Mundo & Carni suæ renunciarunt. Offerunt v. etiam Deo seipsos & sacrificia spiritua- lia, preces, lacrymās, hymnos, eleemosynas, jejunia, & cultum Dei externum atque internum in Spiritu ac Veritate, Rom. 12, 1. 1 Cor. 6, 20. Heb. 13, 15. 16. Col. 3, 16. Joh. 4, 23, 24. Ps. 51, 19. Ps. 141, 2.

§. XLI. *Duratio non est temporalis; sed perennis, Heb. 9, 11. Christus per proprium sanguinem introiit semel in Sancta, æterna redemptione inventa. c. 10, 11. Sanctificati sumus per oblationem corporis J. C. semel. v. 14. Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos. add. Heb. 7, 26. 27. c. 9, 25. 26. 27. 28.*

§. XLII. *Opposita est doctrina i. Gentilium, quorum mentem refert Cato l. 4. Disticho morali 14.*

Cum sis ipse nocens moritur cur victima pro Te?

Stultitia est morte alterius sperare salutem.

2. *Judæorum, qui, repudiato Jesu Naz. ejusq; Sacerdotio, ex Lege Mosis ceu formula foederis Remissionem peccatorum & vitam æternam sibi promittunt: quapropter Isaacus Orobius in Collat. cum Limborch de Israele suo inquit. p. 70. Nullo Messia, nulla Redemptione indiget, nec aliquando opus habuit ad salutem æternam consequendam: Sufficit Lex Divina, quam ut unicum medium ad salutem Dominus Israelæ præcepit: maluntque quam Jesum Nazarenum ceu Sacerdotem ejusque Sacrificium admittere, in vigilia Festi Expiationis, Viri Gallum gallinaceum albo, si fieri potest, colore; foeminæ vero Gallinam, pro se mactare & offerre his verbis:*

זו חליפתו זה תמורתו : זה כפרתי : זה תרגמול וְלֵךְ
 לְמִיתָה וְאֲנִי אֶפְגֵּס לְחַיִּים טוֹבִים וְלְשָׁלוֹם : i. e.


hæc permutatio, substitutio atque expiatio mea est. Gallus hic traditur morti; ego vero congregabor in vitam bonam et pacem. quem ritum servant Judæi in Germania, Polonia, Bohemia & Moravia; In Italia v. & Oriente consuetudo hæc desit: Omnes tamen, ubiq; locorum, Pænitentiam, Preces, jejunia, eleemosynas, Exilium extra terram sanctam, Contemptum ac labores, quos scribendo & edendo libros impendunt, pro Mediis Deum placandi habent. 3. Muhammedanorum, qui prætextu honoris ac venerationis erga Jesum Naz. negant mortem & consequenter Resurrectionem, eoque ipso Sacerdotium ejus. 4. Petri Abailardi, Socini ac sequacium: quorum errorem perstrinximus, hic c. 1. §. 3. 8. c. 2. §. 28. 29. 30. 31.


§. XLIII. Nostrum est, Pontificem hunc N. T. reverenter suscipere, *Sanctitatem Domini*, non infulæ, ut quondam Pontificis Levitici, inscriptam, sed. in doctrina, Vita & actionibus ejus refulgentem, suspicere, ac pro viribus ex Gratia concessis sectari & imitari, nos ipsos animo & corpore ei offerre, ut cum eo crucifixi ac sancti, e Tabernaculo hoc terreno dimissi, beneficio *Benedictionis* ejus *Sacerdotalis* cœleste Adytum cum ipso & per ipsum ingrediamur, ibique partis ab eo bonis æternum fruamur!

F I N I S.

2. Lyserus de Origine Eruditionis.
3. Loscanus Comentationes Sabb.
4. Keoßler de sacerdote comburente vaccam rufam.
5. Horchius Graeco salutis.
6. analysis vocis Schophtim.
7. Hottinger de quatuor tabernaculi tegminibus.
8. Ejusd de usu Salis in cultu Sacro.
9. Schramius de vigilibus priscis.
10. Zashyßer Specimen bibliorum Stanovicensium.
11. Schudt. Theses Philologicae
12. Benter Specimen Catenae typicae.
13. Hottinger de viris Stationariis.
14. Jochenius de paribz pentecostalibz p. 2da.
15. Haseus de tylo Heniopolitans.
16. Kuirch de Sacerdotio cum regimine civili conjuncto.
17. Ejusd materiae continuas.
18. Morheim de pygmaeis Aethiopiae.
19. Sybicus de Sabbato Gentili.
20. Carptov Deus caliginis incola.
21. Strimesius de manipulo hordeaceo.
22. Lampig de Spiritu S.
23. 24. 25. 26. 27. ejusd materiae continuatio.

29. Honorat de auctore Nāre I. Xti humanae
30. Holtefus de Statu humiliationis Xti.
31. Ejuſd de munere Xti ſacerdoteli
32. Ode de obedientia Xti activa.
33. Ejuſd animady in Epp: van der Honorat.
34. Ejuſd in epp alteram.
35. Hottinger de Integritate victimarum.
36. Vitringa de Perſeute veteratore.
37. Van Dryſen Epist: ad van der Honorat.
38. Claerſenius de Exiſtentia Dii.





(19.)
 do & Carni suæ renunciarunt.
 Deo seipfos & sacrificia spiritua-
 als, hymnos, elemofynas, jejunia,
 æternum atque internum in Spiri-
 tus. 12, 1. 1 Cor. 6, 20. Heb. 13, 15. 16.
 23, 24. Pf. 51, 19. Pf. 141, 2.
 atio non est temporalis; sed pe-
 Christus per proprium sanguinem in-
 sta, æterna redemptione inventa. c. 10,
 s per oblationem corporis J. C. semel.
 e consummavit in sempiternum san-
 7, 26. 27. c. 9, 25. 26. 27. 28.
 Opposita est doctrina i. Gentilium,
 refert Cato l. 4. Disticho mo-

uens moritur cur victima pro Te s
 morte alterius sperare salutem.
 pudiatu Jesu Naz. ejusq; Sacerdo-
 eu formula fœderis Remissionem
 tam æternam sibi promittunt:
 s Orobius in Collat. cum Limborch
 ait. p. 70. Nullo Messia, nulla Re-
 e aliquando opus habuit ad salu-
 equendam: Sufficit Lex Divina,
 edium ad salutem Dominus Israeli
 ne quam Jesum Nazarenum ceu
 que Sacrificium admittere, in
 tionis. Viri Gallum gallinaceum
 ; colore; fœminæ vero Galli-
 actare & offerre his verbis:

C 2

הב